

Pectora conveniunt, paci^q; imponere morem.
Soliciti, sat agunt belli præcidere causas.
Vicinos inter reges, cognataq; regna.

DI faciant, positis irarum fluctibus Ate,
Exulet, & placido redeat pax candida vultu,
Litigiiq; expers vivat par nobile Regum,
Conjunctisq; animis & sancta in fœdera dextris,
Contra hostes armis, inter se pugnet amore !

F.

JOAN. HENRICUS MEIBOMIUS,
Reip. Lub. Archiator.

 Uis tunica Martem ferro atq; adamantē rigenti
Contectum, quā par, dicere voce queat ?
Quis varias, quibus est Germania fracta, ruinas,
Hactenus, & sœvæ funera mille manus
Dignè scripserit, & lacrymis æquare dolorem,
Publica quem nobis damna tulere, sciat ?
Tu tamen inventus, Kockerte, poëmate digno
Fulmina qui duri Martis, & arma canas.
Nec tamen in belli, tua, tantum incommoda, quin &
In pacis laudes vena benigna fluit,
Amissam votis & voce requirere pacem,
Plebe quis ex ima non solet atq; potest ?
At Belli æratam, Conversam Pacis in aurum,
Condigno, faciem pingere posse modo,
Non nisi, quem docuit Pallas Tritonia, quemq;
Insignem multa reddidit arte, viri est.
Adde quod hæc animi grati, quem, Carmine, terris
Ostendis docto, gratia grata venit.
Hinc tua, quæ magnis dudum processit ab ausis
Divitis ingenii, gloria major erit.

Fauori & amico suo singulari
benevolentia testandæ L.M.Q. faciebat
HENRICUS VAGETIUS.
Lon-